

Distinctio XI

/Vb 181ra; X 348a/ “Hic dicendum est”, etc. Postquam Magister determinavit de processione Spiritus Sancti in ordine ad suum terminum, inquirendo videlicet utrum Spiritus Sanctus emanet ut amor, hic eam comparat ad suum principium, investigando utrum Spiritus Sanctus a solo Patre procedat, vel simul a Filio et a Patre. Et circa hoc tria facit. Primo enim ponit veram opinionem Latinorum. Secundo opinionem Graecorum. Et tertio eas ad concordiam quandam reducit. Secunda ibi: “Graeci tamen”. Tertia ibi: “Sciendum tamen est”.

Dicit itaque primo quod dicendum est hic Spiritum Sanctum procedere a Filio et a Patre, quod multi haeretici negaverunt, et quod procedat ab utroque, probatur multis auctoritatibus. Prima est Apostoli ad Galatas 4, qui dicit quod Deus misit spiritum filii sui in corda nostra. Secunda eiusdem ad Romanos 8, qui ait quod qui spiritum Christi non habet, non est eius; ex quibus patet quod Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filii, quod non diceretur nisi procederet ab eo. **/X 348b/** Tertia vero est eiusdem filii Ioannis 15 dicentis de Spiritu Sancto, quod ipse mittet eum a Patre; non mitteret autem nisi ab ipso procederet. Quarta est Apostoli ad Romanos 8, qui vocat Spiritum Sanctum, spiritum eius, qui suscitavit Iesum a mortuis; et ita Spiritum Patris. Quinta ipsius Christi Matthaei 10 dicentis: Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Sexta, Ioannis 14: Quem mittet pater in nomine meo. Septima, Ioannis 16 ubi dicitur: “Spiritus qui a patre procedit, ille me clarificabit.” Ex his ergo, et pluribus aliis comprobatur quod Spiritus a Patre Filioque procedit.

Postmodum ibi: “Graeci tamen”. Ponit magister opinionem Graecorum et facit duo. Primo enim ponit rationes eorum tres, dicens quod Graeci concedunt Spiritum Sanctum procedere tantum a Patre, et non a Filio propter tria. Primo quidem, quia non invenitur in Evangeliiis quod procedat a Filio, sed quod a Patre procedit. Secundo vero quia in principalibus quatuor conciliis, quae apud eos fuerunt in primitiva Ecclesia celebrata, quorum primum fuit Nicaenum, aliud Constantinopolitanum, tertium Ephesinum, **/X 349a/** et quartum Calcedonense; quorum quidem **/Vb 181rb/** conciliorum tanta est auctoritas, quod sunt quasi sancta quatuor Evangelia et ab omnibus veneranda – in his inquam conciliis edita sunt symbola et anathemata promulgata in omnes illos qui aliter docere vel predicare praesumpserint de fide catholica quam in illis symbolis continetur; in illis autem symbolis numquam fit mentio de Spiritu, quod procedat a Filio, sed semper quod procedat a Patre, et ita concludunt nos anathematis esse reos. Tertio quoque idem probatur ex symbolo, quod in Ecclesia decantatur quod scripsit Leo III in tabula argentea, et posuit post altare beati Pauli, propter amorem, ut ipse dicit et cautelam fidei orthodoxae; in illo quidem symbolo habetur, et in Spiritum Sanctum dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit, illud enim quod nos cantamus, “Filioque procedit”, scriptum in illa tabula minime reperitur, propter quod Graeci dicunt Latinos excommunicatos.

Secundo ibi: “Nos autem illa verba”. Magister respondet ad motiva Graecorum, et primo ad illud de conciliis, quod nos non praedicamus aliud in contrarium, sed addimus et explicamus; et idem est de symbolo quod in ecclesia decantatur – quod autem aliud intelligatur pro opposito, non pro additamento, probat per Apostolum, qui cum dixisset ad Galatas 1: Si quis aliud vobis evangelizaverit anathema sit, dicit I ad Thessalonicen 3 quod cupiebat venire, ut suppleret, quae illorum fidei deerant, per quod patet quod supplere quod deest, non est aliud evangelizare, alias ipsa anathema esset. Secundo vero respondet ad auctoritatem Evangelii, dicens quod Filius non negat Spiritum Sanctum a se procedere, sed ideo Patrem tantum nominat, quia ad eum cuncta solet referre, ut innuat se eius gloriam sibi quaerere, non propriam laudem sicut Ioannis 7 dicit: Mea doctrina non est mea.

Postmodum ibi: “Sciendum tamen est”. Magister reducit Graecorum et Latinorum sententiam ad concordiam quandam. Et circa hoc duo facit. Primo enim ostendit quod quoad rem conveniunt et dissentiunt solum verbis, dicens quod Graeci concedunt Spiritum Sanctum esse Filii sicut Patris; constat autem quod non est aliud Spiritum Sanctum esse Filii, quam Spiritum esse a Filio; ergo in eandem videntur fidei sententiam convenire, etsi verbi dissentiant.

Secundo ibi: “Unde etiam quidam”. Ostendit quod nec etiam in verbis dissentiunt doctores Graeci, expresse enim hoc confitentur Athanasius, Didimus, Cyrillus, et Iohannes Chrysostomus, qui fuerunt doctores graeci, et patent sex eorum auctoritates in littera.

55 Haec est sententia.

Utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre et a Filio

Et quia Magister inquit hic de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, ideo inquirendum occurrit utrum Spiritus Sanctus procedat ab utroque. Et videtur primo quod non, illud enim
60 asseverandum non est circa Spiritum Sanctum, quod non reperitur in scripturis expressum. Sed de Spiritu Sancto semper legitur quod procedit a Patre et nusquam quod procedat a /X 349b/ Filio. Ergo hoc non est asserendum.

Praeterea, nihil debet teneri pro articulo fidei quod in nullo concilio reperitur determinatum. Sed in nullo concilio reperitur expressum de Spiritu Sancto quod procedat a Filio, immo sancta
65 quatuor Concilia, Nicaenum symbolum /Vb 181va/ expresse dicunt, qui a Patre procedit, nulla de Filio habita mentione. Igitur illud quod prius. Et si dicatur quod licet non fiat mentio quod procedat a Filio, nihilominus non negatur, non valet, quia talis taciturnitas videtur aequipollere negationi, cum dicitur Spiritus a Patre procedit, videtur enim per hoc innui quod non a Filio, sicut cum dicitur quod Filius a Patre gignitur, innuitur quod non a Spiritu Sancto.

70 Praeterea, nullus debet deviare a sententia tradita ab apostolis. Sed doctrina Spiritus Sancti beati Andreae, sicut confitentur omnes Presbyteri Achaiae, fuit quod Spiritus Sanctus a Patre procedit et in Filio requiescit. Dicunt enim hanc fidem se didicisse a beato Andrea. Ergo ab hoc non est devianandum.

Praeterea, liber Damasceni est authenticus et catholicus, quia ab Eugenio Papa receptus, ut
75 patet in titulo libri sui. Sed Damascenus dicit libro I, capitulo 10, quod credimus in unum Spiritum Sanctum Deum vivificantem ex Patre procedentem et in Filio quiescentem. Et capitulo 11 dicit “Spiritum Sanctum expresse dicimus, et Patris Spiritum nominamus, ex Filio vero non dicimus Spiritum: Filii vero Spiritum nominamus. Et similiter in quadam epistola quam scripsit, intitulatam de Trisagio, ibi enim expresse dicit quod Spiritus Sanctus non est ex Filio. Ergo non
80 procedit ab utroque Spiritus Sanctus secundum catholicos Doctores.

Praeterea, Dionysius, II *De divinis nominibus*, dicit quod Pater est fontana Deitas; Filii autem et Spiritus Sanctus pullulationes divinae naturae, et sicut flores, et sicut supersubstantialia lumina. Sed non videmus de floribus quod unus emanet ab alio, sed omnes ab arbore, nec de rivis quin omnes immediate emanent a fonte et similiter de luminibus. Ergo nec Spiritus Sanctus
85 procedet a Filio, sed ambo a Patre, sicut duo flores ab eodem stipite, et rivi a fonte, et duo radii ab eodem sole.

Praeterea, sicut est in mente nostra inter verbum et spiritum, sic et multo excellentius est inter divinum Verbum et Spiritum. Sed spiritus in nobis non procedit a verbo, immo ipsum praecedit; dicit enim Augustinus, IX *De trinitate*, capitulo ultimo, quod appetitus praecedit
90 partum mentis; et ubique per totum librum dicit quod voluntas copulat parentem proli. Ergo et in divinis Spiritus a Verbo non procedet, immo magis ipsum praecedet, ut videtur.

Praeterea, non minus <communicat> [convenit] Spiritus Sanctus cum Patre quam Filius. Sed non communicat cum eo Spiritus Sanctus in generatione Filii. Ergo nec Filius communicabit cum eo in productione Spiritus Sancti.

95 Praeterea, unum simplex productum exigit unicum et simplex producat, alias secundum se totum dependeret a pluribus indivisibiliter et totaliter, quod est impossibile. Sed persona Spiritus Sancti est unum simplex productum. Ergo erit /X 350a/ ab unico producente. Non igitur a Filio et a Patre.

100 Praeterea, idem non potest referri eadem relatione ad plures terminos, idem enim pater non refertur ad plures filios per eandem paternitatem. Sed spiratio est unica relatio existens in Spiritu Sancto. Non igitur referretur ad Patrem et Filium Spiritus Sanctus per eam, hoc autem fieret, si procederet ab utroque. Igitur id quod prius.

Quod procedat ab utroque. Sed in oppositum videtur quod Spiritus Sanctus habeat procedere ab **/Vb 181vb/** utroque. Filius enim est imago viva Dei Patris; sed non esset imago si ab ipso aliqua persona procederet, non enim est imago per sapientiam, bonitatem, et alias perfectiones, ista enim sunt in Spiritu Sancto, qui tamen non est imago. Ergo a Filio aliqua persona procedit. Non potest autem procedere nisi Spiritus Sanctus. Igitur ab eo procedit.

Praeterea, in illo signo in quo Filius a Patre procedit Filius est omnipotens, et per consequens in omne possibile potens. Sed Spiritus Sanctus in illo signo est produci possibilis, iam enim non est. Ergo Filius per omnipotentiam ipsum producere potest, et per consequens producet, cum in perpetuis non differant esse et posse.

Praeterea, inter personas divinas debet esse tanta germanitas et connexio quanta potest imaginari. Sed si Filius et Spiritus Sanctus sic procedant a Patre, quod unus non emanet ab alio, non erit ibi summa germanitas nec connexio secundum originem et erunt quasi duae lineae sine tertia: erit origo inter Patrem et duos productos, nulla autem habitudo inter duos productos, et sic non erit trinitas triangulariter conclusa sub habitudine triplici. Ergo necessarium est quod Spiritus Sanctus ab utroque procedat.

Praeterea, in essentialiter ordinatis si secundum est a primo, et tertium est a secundo. Sed in divinis est ordo <essentialis> [aequalis] inter personas, et Filius est a Patre, sicut <secundus a primo> [primum a secundo]. Ergo Spiritus Sanctus erit a Filio tamquam persona tertia a secunda.

Praeterea, Pater communicat Filio quicquid est compossibile sibi. Sed spirare est compossibile sibi, non enim repugnat ratione deitatis (sic enim patri repugnaret), nec ratione filiationis (quia productum potest producere), nec filio repugnat aliquid originare. Unde Filius est; ergo Pater sibi communicat spirare.

Praeterea, suppositum habens principium productivum prius in aliquo signo quam illud principium habeat actum adaequatum, potest exire in actum per illud principium. Sed Filius habet voluntatem fecundam, quae est principium spirationis, prius in aliquo signo quam Pater spiret per voluntatem – generatio enim praecedit origine spirationem propter ordinem potentiarum intellectus et voluntatis. In illo ergo priori in quo memoria exit in actum et habet adaequatum productum, scilicet Filium, nondum voluntas prorumpit in actum. In illo autem priori est Filius, et est sibi communicata voluntas, et omnis perfectio simpliciter. Ergo Filius <producit> [procedet] simul cum Patre per voluntatem in illo signo quo voluntas prorumpet in actum, et per consequens Spiritus Sanctus a Patre <simul et Filio> produceretur. **/X 350b/**

Praeterea, Spiritus Sanctus personaliter distinguitur a Filio. Sed non distingueretur, si non procederet ab eo, non haberet enim oppositam relationem ad ipsum, omnis autem distinctio in divinis fit per relationes oppositas, secundum Anselmum, *De processione Spiritus Sancti*. Igitur Spiritus Sanctus ab utroque procedit.

Praeterea, Spiritui Sancto secundum omnem opinionem Graecorum et Latinorum repugnat generare. Sed hoc non esset nisi produceretur a genito, non enim repugnat sibi quia productus est, producto enim non repugnat producere, ut evidenter patet; nec in quantum a Patre generante est, non enim est a Patre in quantum generans, alioquin ipse genitus esset et Filius ac natus; restat igitur quod repugnet sibi generare in quantum est a genito. Ergo Spiritus Sanctus procedet a Filio ut videtur.

Praeterea, ab **/Vb 182ra/** uno agente ex necessitate naturae et ex tota sua virtute et eodem modo se habente non potest immediate produci nisi unum. Sed si plura producantur, hoc erit ordine quodam. Sed Pater est unum agens et agit actione ad intra ex sua virtute et necessitate naturae et semper eodem modo se habens in se et in sua actione, et cum hoc producit plura supposita, Filium et Spiritum Sanctum. Necesse est ergo quod producat ordine quodam. Sed constat quod non ordine temporis aut naturae, quia una persona non praecedit aliam tempore aut secundum naturam. Relinquitur ergo quod ordine originis quo unum sit ab alio; et sic Spiritus Sanctus erit a Filio.

Praeterea, Pater communicat omnia quae habet Filio, excepto eo in quo opponitur sibi Filius. Sed non opponitur sibi in spiratione, sed solum per innascibilitatem et paternitatem; spirans

quidem in quantum spirans est, non opponitur nisi spirato. Filius autem spiratus non est; ergo communicat sibi Pater quod Spiritum Sanctum spiret active.

Responsio ad quaestionem. Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur. Primo namque ostendetur auctoritatibus et deinde probabitur ratione quod Spiritus Sanctus ab utroque procedit. Secundo vero inquiretur an distingueretur a Filio nisi procederet ab ipso, secundum opinionem doctorum. Tertio quoque iuxta id quod videtur.

Articulus Primus

165 Ubi probatur quod Spiritus Sanctus procedat ab utroque et primo per auctoritates.

Circa primum ergo considerandum quod incunctanter tenendum est quod Spiritus Sanctus procedit a Filio et a Patre, illud enim de processione Spiritus Sancti tenendum est quod ex auctoritatibus Evangelii colligitur evidenter. Sed quod Spiritus Sanctus procedat a Filio colligitur ex habitudine genitivi et ex habitudine pronomini possessivi nobis expressa in Evangeliiis et in doctrina Apostoli Pauli. Nam in Evangelio Filius dicit de Spiritu Sancto quod de meo accipiet; similiter frequenter legitur in epistolis de Spiritu Sancto quod sit spiritus Christi et filii; constat autem quod spiritus non potest accipere de eo /**X 351a**/ quod est Filii nisi procedendo a Filio, quia eius accipere est procedere, nec potest esse Filii, Spiritus possessive autem* formaliter; unde relinquitur quod sit Filii originaliter. Ergo secundum doctrinam fidei, hoc est incuncusse tenendum.

Et si dicatur quod Spiritus ideo dicitur accipere ab eo quod est Filii, quia accipit a Patre, ut sit sensus 'de meo accipiet', idest de meo Patre, non valet, Salvator enim ibi rationem assignat quare Spiritus Sanctus ipsum clarificabit, et dicit quod quia accipiet de suo quod non esset nisi acciperet vere esse ab eo.

Et confirmatur, quia non diceret se posse mittere Spiritum nisi Spiritus esset ab eo. Si etiam diceretur ulterius quod Spiritus dicitur esse Filii non originative, sed sub alia habitudine, quasi potens ipsum mittere, vel alio modo, non valeret: tum quia Spiritus importat habitudinem ad id cuius est Spiritus et a quo exsufflatur et aspiratur; tum quia iste fuit error Macedonii, qui dixit Spiritum esse nuntium Filii et quasi servum eius.

Praeterea, omnis opinio circa fidem novella contradicens antiquae fidei est omnino erronea et refellenda. Sed quod Spiritus Sanctus procedat a solo Patre novellum est; quod autem procedat ab utroque est antiquis-/**Vb 182rb**/-simum, nec est, sicut imaginantur aliqui, quod ista opinio nova sit et prima antiqua. Quod potest evidentissime demonstrari, quia Augustinus, XV *De trinitate* et in multis aliis locis dicit Spiritum Sanctum procedere ab utroque, nec facit mentionem de opposita opinione Graecorum; constat autem quod fecisset, sicut de omnibus aliis erroribus, nec enim ullam haeresim sui temporis intactam reliquit. Unde patet quod tempore unitatis Ecclesiae Latinae cum Graeca, et quamdiu Imperatores fuerunt in Constantinopolim, nullus Graecus negavit pertinaciter Spiritum Sanctum procedere a Filio, sed incepit ista rebellio post omnes doctores, cum translatum fuit Graecorum imperium in Germanos sub magnifico Carolo; ex tunc enim indignati sunt Graeci et in varias haereses sunt prolapsi. Igitur quod procedat a Filio est inconcusse tenendum.

Praeterea, illud est pro fide tenendum in cuius fide mortui sunt viri sancti in ecclesia canonizati. Sed in hoc quod Spiritus procedat a Filio, mortui sunt sancti canonizati, ut patet de Augustino, Athanasio, Didimo, Chrysostomo, et Cyrillo, ut patet in auctoritatibus quas Magister allegat capitulo ultimo praesentis distinctionis. Igitur id quod prius.

Et si dicatur quod Damascenus dicit oppositum, ait enim quod ex Filio Spiritum non dicimus, dicendum quod immo expresse ibidem subdit oppositum. Ait enim quod sicut ex sole est radius et splendor, sic a Patre est Filius et Spiritus Sanctus; et subdit quod per radium nobis splendor traditur; ex quo patet quod est sua intentio quod sicut radius et splendor sunt a sole, nihilominus splendor mediante radio, sic Filius et Spiritus Sanctus sunt a Patre, nihilominus Spiritus Sanctus Filio mediante, alias similitudo sua esset nulla. Quod ergo negat Spiritum non esse ex Filio, eodem modo negat sicut splendorem non esse ex radio, sed ex sole; constat quod

ideo splendor non dicitur /X 351b/ esse ex radio, sed ex sole, nisi quia principaliter est ex sole,
 210 nec est ex radio, nisi virtute communicata sibi a sole; non tamen est verum quin originetur a
 radio. Consimiliter ergo non intendit negare quin Spiritus Sanctus originetur a Filio, immo
 concedit cum ait Spiritum Filii nominamus, sicut divinus dicit Apostolus, et per Filium
 manifestatum nobis et traditum esse confitemur, insufflavit enim et dixit Apostolis suis:
 215 Accipite Spiritum Sanctum; et subdit sicut ex sole quidem est radius et splendor, sic ipse est
 fons radii et splendoris, per radium vero splendor nobis traditur. Sic igitur patet quod
 Damascenus concedit exitum Spiritus Sancti a Filio, sed non exitum principalem, sicut et
 Augustinus dicit XV *De trinitate*, capitulo 17, quod de Patre principaliter Spiritus Sanctus
 procedit.

Praeterea, illud est inconcusse tenendum cuius oppositum est haereticum. Sed Magister
 220 expresse dicit in principio praesentis distinctionis quod dicendum est Spiritum Sanctum esse a
 Patre et a Filio, quod multi haeretici negaverunt. Igitur hoc est inconcusse tenendum.

Et si dicatur quod secundum hoc Graeci erunt haeretici, dicendum quod apud Graecos ‘ab’ et
 ‘a’ et ‘ex’ sunt praepositiones principalitatem originis importantes, et non solam originem
 simplicem; genitivus autem importat habitudinem originis simplicis. Propter quod secundum
 225 proprietatem sui sermonis concedunt Spiritum esse Filii, sed non esse ex Filio aut a Filio, sicut
 etiam nos conce-/Vb 182va/-dimus Filium esse in Patre, et apud Patrem, Patrem vero esse in
 Filio, sed forte non apud Filium, quia ‘apud’ principalitatem quandam importat, unde et Ioannes
 testatur Verbum fuisse apud Deum, nec dicit Deum fuisse apud verbum. Secundum hoc ergo
 videtur esse sola discrepantia in verbis propter quod non sunt censendi haeretici, nisi negarent
 230 expresse postquam fuisset eis expositus sensus iste.

Est autem considerandum quod licet causa scismatis Graecorum assignetur ab aliquibus
 superbia et contemptus, pro eo quod non fuerunt vocati ad concilium ubi hoc extitit declaratum,
 ut dicunt, magis tamen videtur quod causa fuerit mutatio imperii, nam Graeci retinuerunt sibi
 imperatorem, nec voluerunt obedire ei quem Romana ecclesia instituit de Germanis. Propter
 235 quod divisi sunt ab obedientia ecclesiae, et in diversos errores collapsi sunt, imponentes Latinis
 errorem de conficiendo in azimo, et de processione Spiritus Sancti, ut occasionem sibi sumerent
 et velamen inobedientiae suae.

Qua ratione possit hoc convinci quod Spiritus debeat procedere ab utroque. Nunc restat
 240 inquirere an hoc concludi possit necessaria ratione. Adducuntur autem ad hoc rationes decem
 supra positae ad oppositum arguendo, et, ut appareat quanta sit efficacia earundem,
 discurrendum est per eas.

Prima quidem deficit evidenter; non est enim verum quod ex hoc Filius sit imago Patris, quia
 producit Spiritum Sanctum; esto enim per impossibile quod Spiritus Sanctus Deum produceret,
 245 et Filius non produceret, adhuc esset imago /X 352a/ Filius et Spiritus non imago; unde Filius
 imago dicitur propter modum emanationis sibi proprium, quia emanat ut Deus positus in esse
 conspicuo et formato.

Et confirmatur, quia dicit Augustinus, VI *De trinitate*, capitulo 2, quod Filius sic Verbum
 dicitur, quomodo Imago, unde eo Imago, quo Verbum; non spirat autem eo quo Verbum, cum
 250 alia sit notio Verbi a notione spirationis, propter quod ratio Imaginis non consistit in sapientia,
 bonitate, et caeteris attributis, sed nec etiam in actu spirationis, sed in proprio modo
 emanationis, qui est per modum similitudinis ac rei positae in esse formato cui competit esse
 Verbum.

Secunda etiam deficit in duobus. Primo, quia posse spirare, non cadit sub omnipotentia, nec
 255 est potentia aliqua productiva, alioquin Spiritus Sanctus non esset Filio et Patri aequipotens, nec
 Spiritus Sanctus est de numero possibilium sed de numero necessariorum; secundo vero deficit,
 quia ab adversariis diceretur quod in illo signo in quo Pater producit Filium, producit etiam
 Spiritum Sanctum, et utrumque onnipotentem, propter quod Filio non communicat
 productionem Spiritus Sancti.

260 Tertia etiam non procedit, diceretur enim quod sufficiens est personarum germanitas, pro eo
 quod procedunt ab eodem principio, sicut et duorum procedentium ab eodem Patre; vel diceretur

quod non exigitur attinentia vel germanitas inter personas, cum sufficienter identitentur ratione naturae, et sit in eis summa dilectio, ac idem velle et idem nolle. Quod autem additur de figura triangulari, non apparet necessitas quod ponatur in Deo /Vb 182vb/ talis figura, nec quod sit
265 geometriae* materia vel subiectum.

Quarta etiam non concludit, assumit enim falsum quod sit ordo essentialis inter personas, non est <enim> aliquis ordo nisi originis. Et si dicatur quod secundum illum oportet Spiritum Sanctum originari a Filio, vel e converso, petetur principium, in hoc enim consistit inquisitio praesens.

270 Quinta etiam non apparet multum efficax, quia dicitur pari ratione quod Pater communicat Spiritui Sancto quod generet Filium, ita ut Pater solus spiret Spiritum Sanctum, Pater autem et Spiritus simul generent Filium; non enim repugnat Spiritui Sancto generare ratione deitatis (quia tunc Patri non competeret), nec quia productus est (quia productum generare potest, sicut videmus in creaturis), nec ratione spirationis (quia nullam habitudinem habet ad generationem).
275 Et si dicatur quod immo quia spiratio est a genito, petitur id quod quaeritur, et ratio inefficax manet.

Sexta quoque non arguit; quia deficit in duobus. Primo quidem, quia supponit spirare esse aliquid elicatum et potentiam spirativam communicari Filio; hoc autem non est verum, sed communicatur sibi spirationis actus absque omnipotentia productiva. Secundo vero quia
280 imaginatur quod in aliquo priori Pater producat Filium, in quo non producat Spiritum Sanctum. Hoc autem impossibile est, in illo enim signo in quo Pater est, habet quicquid umquam habebit, alias ex productione Filii aliquid sibi acquireretur. Aut igitur producto Filio non spirat Pater nec habet spirationem, aut habet eam in primo signo /X 352b/ quo est Pater, alioquin sequeretur quod accederet ad eum spiratio, et aliquid proveniret in ipsum, Filio producto, cuius oppositum
285 dicunt etiam positores istius rationis. Unde cum spirare sit quaedam res inelicitata, non est imaginandum quod potentia spirativa sit in aliquo priori in Patre ante actum spirationis: tum quia talis potentia ibi non est, sed actus solus; tum quia esto quod esset, nullo modo est imaginandum aliquod signum in quo potentia actum praecederet, sed esset ibi ordo originis, qui est esse ex alio tamquam ex principio productivo.

290 Septima quoque non est efficax usquequaque: non est enim verum quod Pater et Filius personaliter distinguantur a Spiritu Sancto per spirare: tum quia non constituuntur in esse personali per ipsum sed paternitate et filiatione; tum quia sequeretur quod Pater et Filius essent una persona, si personaliter distinguerentur per solum spirare a Spiritu Sancto. Sed de hoc in sequentibus articulis prolixior erit sermo.

295 Octava <etiam> [enim] deficit, quia diceretur a Graecis quod Spiritus Sanctus generare non potest, non quia producatur a genito, sed quia ambo, scilicet Filius et Spiritus Sanctus, sunt simul et eodem ordine procedentes a Patre, propter quod nec Spiritui communicatur quod generet nec Filio quod spiret.

Nona etiam non concludit. Tum quia falsum supponit, videlicet quod productiones sint
300 elicatae in divinis. Tum quia non est verum quin Pater immediate generet Filium et spiret Spiritum Sanctum, ita quod inter generare et spirare prout sunt in Patre nullus est ordo originis, non enim spirare originatur a generare aliquo modo in Patre; unde evidenter ratio illa /Vb 183ra/ duceret in errorem, concluderetur enim quod Spiritus Sanctus non emanaret a Patre, sed Filio mediante.

305 Ultima etiam non obsistit, diceretur enim quod Filio pro tanto opponitur spiratio, quia generatio et spiratio sunt simultaneae productiones, ita quod una aliam non supponit, propter quod repugnat spiratio quod generet, et genito quod spiret.

Ratio efficax secundum sanctos et veritatem. Propterea dicendum est quod non est alia ratio
310 quae videatur concludere Spiritum Sanctum a Filio eman[an]are, nisi quia etiam in nobis et ex natura verbi et spiritus, verbum videtur habere causalitatem aliquam super spiritum, in ratione quidem termini, cum formatur verbum de re alia, et spiritus emittitur versus illam, sicut patet quod impossibile est animum amantis impelli ex vi amoris ad aliquid nisi illud habeat esse conceptum et formatum, et ita res posita in esse conspicuo et modo verbi est id ad quod procedit

315 animus vi amoris. Talis autem animus sic impulsus spiritus appellatur, ut supra dictum est, et ita
sequitur quod spiritus aliquo modo dependet a verbo, tamquam a termino etiam verbi, verbum et
spiritus sunt respectu rei realiter differentis. Et hoc confirmatur ex dicto Philosophi III
Ethicorum, qui ait quod bonum, ut conceptum movet, /X 353a/ et VI, qui dicit quod mens
320 practica movet, cuius gratia et ut finis; et ex dicto Commentatoris, qui ait XII *Metaphysicae*
quod balneum, quod est in anima, movet appetitum. Habet autem verbum super spiritum
causalitatem etiam productivam, quando verbum non formatur de alio, sed de se ipso, et spiritus
non est impulsus ad alium, sed ad se ipsum, cum enim anima se ipsam ponit ante se in esse
conspicuo per intellectionem, et movetur ac inclinatur ad se per amorem, qua quidem
325 inclinatione ponitur extra se in esse lato et egresso, quod esse dicitur spiritus (ut superius extitit
declaratum), non dubium quod emanatio spiritus praesupponit animam positam in esse
conspicuo et formato, non enim se ipsam diligeret, nisi prius ante se constitueret se, immo
motus animi est versus se ipsam ante se constitutam. Nec dubium etiam quin ipsa ante se
constituta sit illa quae diligit et illa quae vi amoris impellitur et procedit, immo omnia quae vera
sunt de se ipsa ut est conspicuens, vera sunt de se ipsa ut est conspicua, excepto constituere et
330 constitui: in solo enim hoc distinguuntur, ut dicebatur superius secundum Augustinum. Haec
igitur est habitudo verbi et spiritus ex propriis rationibus et quiditativis eorum.

Unde potest ratio sic formari: omnem habitudinem habent Verbum et Spiritus in divinis,
quae competit verbo et spiritui secundum eorum formales rationes, ex quo enim verae rationes
Verbi et Spiritus sunt in Deo, necessario retinent omnia concomitantia suas proprias rationes, ita
335 ut talis sit habitudo secundum rem inter Verbum et Spiritum in divinis, qualis est secundum
rationem inter ea in nobis, ubi habent esse diminutum. Sed verbum et spiritus habent duplicem
habitudinem ex rationibus suis, generaliter quidem verbum habet habitudinem termini et
causalitatem respectu spiritus, in quantum spiritus est impulsus versus rem positam in esse
conspicuo et formato; specialiter autem habet habitudinem productivam, quando verbum
340 formatum est ab aliquo de se ipso, tunc enim omnia sunt /Vb 183ra/ unum praeter formare et
formari, anima enim posita in esse conspicuo, ipsa est eadem cum ponente, et est in eis unum
diligere, et unum impelli per vim amoris, atque unum impellere, et breviter cuncta sunt eadem
praeter quam constituere seu formare et formatum sive conspicuum esse, et per consequens
verbum de necessitate habet spiritum impellere, sicut et ipsummet formans et eodem impulsu.
345 Ergo Verbum in divinis habet hanc duplicem habitudinem respectu Spiritus Sancti, primam
siquidem terminativam, quia impellitur Spiritus, seu procedit in eum et versus eum, et hoc
exprimitur per habitudinem quiescentis cum dicitur quod Spiritus a Patre procedit et in Filio
permanet et quiescit; secundam vero productivam, in quantum sibi competit quicquid patri,
excepto generare et generari, et hoc exprimitur cum Pater et Filius dicuntur unus spirator et
350 unum principium Spiritus Sancti.

Hanc autem rationem innuit Augustinus, XV *De trinitate*, capitulo 14, cum dicit quod Pater
genuit Verbum aequale sibi per omnia, non enim se ipsum integre perfecteque dixisset, si
aliquid minus, aut /X 353b/ amplius esset in eius Verbo quam in ipso; et infra, capitulo 17, dicit
quod Pater quicquid unigenito verbo dedit, gignendo dedit; sic enim eum genuit ut etiam de illo
355 donum commune procederet et Spiritus Sanctus amborum spiritus esset.

Huic tamen rationi obviare videtur quod secundum Commentatorem, XII *Metaphysicae*,
commento 35, res extra est finis desiderii; res autem in anima movet modo efficientis. Sed
verbum est res in anima et concepta. Igitur motus desiderii et emissio spiritus non videtur esse
versus rem ut conceptam, et per consequens nec in verbum.

360 Praeterea, versus illud procedit Spiritus, quod habet rationem amati. Sed non solum Verbum
habet rationem amati, sed tota trinitas. Ergo Spiritus non procedit solummodo in Verbum.

Praeterea, Hieronymus dicit super Psalmum 17 quod Spiritus Sanctus est dilectio quam habet
Pater in Filium et Filius in Patrem. Sed hoc non esset, si Spiritus non procederet a Filio versus
Patrem, sicut a Patre erga Filium. Igitur id quod prius.

365 Praeterea, sicut res posita in esse conspicuo est eadem cum ponente, non differens nisi penes
formare et formari, sic posita in esse dato et impulso per vim amoris eadem est cum pellente et
spirante. Sed identitas rei formatae et formantis dat formatae rei ut spiret. Igitur identitas rei

impulsae et pellentis per vim amoris dabit sibi ut formet et ponat in esse conspicuo et concepto, ex quo omnia sunt eadem praeter impellere et impelli; et secundum hoc aequae Spiritus generabit sicut Verbum spirabit, si ratio praedicta procedit.

370 Sed his non obstantibus dicendum est sicut prius, res enim extra non desideratur nisi per esse quod habet in anima, quia voluntas ferri non potest nisi in cognitum, et per consequens nisi in id quod est mente formatum. Est tamen considerandum quod res extra et res in anima eadem res sunt, quamvis differant in modo essendi, ut saepe dictum est, unde attingens rem prout existit in
375 anima, attingit rem quae existit extra. Res igitur desiderata est illa quae est extra et prout est extra, desideratur tamen propter esse quod habet intra, referendo istud ‘propter’ ad causa-/Vb 183va/-litate[m] immediati directivi et termini, non ad causalitatem finis et ultimi.

Prima ergo instantia non procedit, non enim intelligit Commentator quin res existens in anima moveat desiderium modo finis, in quantum dirigit in finem et exhibet finem praesentem,
380 sed intelligit quod sub illo esse non habet rationem finis; sicut enim ignis aut agens aliud non agit in combustibile aut passum aliud nisi fuerit praesens, ita quod praesentialitas exigitur ex parte agentis ad hoc quod agat in tale passum, nec tamen praesentialitas est ratio agendi, sed forma ignis, sic res extra non movet in ratione finis, nec desiderium inclinatur ad eam, nec impellitur animus sive spiritus erga ipsam, nisi fuerit praesens animae, quam praesentialitatem
385 habet per hoc quod est in anima in esse cognito et prospecto.

Secunda etiam non procedit, tota enim trinitas /X 354a/ est vere dilecta et amata, et erga eam est impulsus animi, ut ita liceat loqui, seu spiritus divini, nihilominus necesse est quod prius ponatur in quodam esse formato, propter quod erga Verbum est processio Spiritus, tamquam erga praeexigitum, et quasi directivum.

390 Et per idem patet quod tertia non procedit, licet enim Spiritus sit a Filio in Patrem et a Patre in Filium, tamen differunt, est enim a Patre in Filium tamquam in rem praesentem in esse obiectali, a Filio vero in Patrem tamquam in rem cuius esse non est esse conspicuum et obiectale.

Quarta etiam non procedit, constat enim quod impulsus animi et ratio per amorem praeexigit
395 formationem rei et positionem in esse prospecto, propter quod animae, ut positae in esse lato aut impulso per vim amoris, non potest competere verbi formatio, cum praeexigat ipsum formatum; animae vero positae in esse formato competit ut ipsa sit vi amoris procedens; unde emittere Spiritum aequae sibi competit, sicut congruit sibi ipsi, ut formans est. Sic igitur omnia competunt animae positae in esse formato, quae competunt et ponenti, praeter ponere et poni, formare et
400 formari; animae vero impulsae per amorem omnia competunt quae impellenti praeter impellere et verbum formare, et ita ratio efficaciter concludebat.

In hoc finitur articulus primus.

Articulus Secundus

405 **An Spiritus Sanctus distingueretur a Filio, si non procederet ab ipso. Opinio quorundam.**
Circa secundum considerandum est quod aliqui dicere voluerunt quod nulla est inquisitio an Spiritus Sanctus distingueretur personaliter a Filio si ab eo non emanaret, pro eo quod supponitur impossibile, quo dato, multa impossibilia sequuntur. Hoc enim non est difficile, ut Philosophus dicit, I *Physicorum*, illud autem non est disputabile, nec cadit sub inquisitione, ad
410 quod necesse est impossibilia sequi, quia respondens, secundum artem dialecticam, nihil debet dicere repugnans, ut dicitur in I *Topicorum*.

Sed hic modus dicendi stare non potest, illa enim quaestio dubitabilis est et disputabilis quae formatur de propositione hypothetica, cuius categorica aequipollens est dubitabilis, et sub inquisitione cadens. Haec enim quaestio rationabilis est: an asinus volaret, si haberet alas, quia
415 categorica dubitabilis est, utrum omne habens alas possit volare, non omne enim tale forsitan potest, sicut patet de strutione. Similiter posset quaeri utrum homo distingueretur ab equo, si non esset animal, quod ae-/Vb 183vb/-quipollet huic inquisitioni, an distinguatur ab equo per animalitatem, aut per rationale; unde et Augustinus, V *De trinitate*, capitulo 6, dicit quod si Pater Filium non genuisset, nihil eum prohiberet dici ingenitum; similiter Richardus, III *De trinitate*,
420 capitulo 16, dicit quod si sola una persona in divinitate esset, nihilominus plenitudinem

sapientiae possideret. Hae autem hypotheticae, ideo rationabiles sunt et verae, quia aequipollentes categoricae verae sunt, videlicet quod Pater non dicitur ingenuus, quia genuit, nec habet plenitudinem sapientiae una persona propter aliam; sed huic hypotheticae /X 354b/ quaerenti an Spiritus Sanctus distingueretur personaliter a Filio, si non procederet ab eo, haec
 425 categorica aequipollet quae quaerit utrum de facto nunc distinguatur Filius a Spiritu Sancto per spirare aut distinguatur per filiationem; si enim per solum spirare, si non procederet non distingueretur; si vero per solam filiationem, si non procederet adhuc distingueretur. Haec autem est rationabilis inquisitio: an Filius personaliter distinguatur per filiationem aut per spirationem activam a Spiritu Sancto. Ergo et ista hypothetica inquisitio rationabilis est et bona.

430 Praeterea, omnis inquisitio de formalibus distinctis utilis est et bona, sub quacumque forma ponatur, bene enim inquiritur an homo distinguatur ab equo per rationale vel per risibile, sive quaestio proponatur categorice sive conditionaliter, si homo non esset risibilis, utrum distingueretur ab equo. Sed constat quod ista quaestio, “an distingueretur Spiritus, si non procederet”, est de formali distinctivo Filii et Spiritus Sancti, an illud sit activa spiratio vel
 435 filiatio. Ergo quaestio erit rationabilis et bona.

Praeterea, omnis suppositio impossibilis relinquens formalem rationem subiecti, relinquit etiam ut possit formari quaestio de subiecto, sicut patet quod si ponatur quod homo non sit risibilis, adhuc remanet homo, et potest quaeri utrum esset animal aut substantia; si autem poneretur quod homo non esset rationalis et quaereretur utrum cum hoc esset substantia,
 440 quaestio esset nulla, quia homo totaliter tolleretur. Sed haec suppositio non tollit quin Spiritus Sanctus esset Spiritus Sanctus, cum perfecte et complete et secundum suam totam rationem procedat a Patre, esto quod a Filio non procederet. Ergo de Spiritu Sancto hac suppositione facta, adhuc remanet rationabilis quaestio.

Nec motivum supra positum cogit, lex enim disputationis hoc exigit, ut non dicatur
 445 repugnans ei quod a principio sumptum est, sive illud possibile fuerit sive impossibile, non autem exigit quin impossibilia possint sequi eodem genere impossibilitatis, in quo fuit primum assumptum.

Opinio Thomae, parte prima, quaestione 36, articulo 2, et Godofredi, III quolibet, quaestione 3, et plurium aliorum. Propter quod dixerunt alii, supponentes quod quaestio
 450 rationabilis sit, sicut patet quod nullo modo Spiritus Sanctus distingueretur personaliter, si non procederet a Filio. Quod potest multipliciter declarari. Omnis enim distinctio in divinis est per relationes oppositas. Ait enim Anselmus, *De processione Spiritus Sancti*, capitulo 3, quod omnia unum sunt in divinis, ubi non obviat aliqua relationis oppositio; unde dicit quod
 455 distinctionem facit in Deo oppositio relativa, quod etiam patet ex hoc quod relatio transit in substantiam, nisi dum ad oppositum comparatur, unde tantummodo distinguit /Vb 184ra/ a suo coopposito. Sed si Spiritus Sanctus non procedat a Filio, non erit inter eos oppositio relativa. Igitur personaliter non distinguuntur.

Praeterea, sicut se habet spirare ad generare, sic spirari ad generari. Sed spirare et generare
 460 /X 355a/ concurrunt in eadem persona Patris. Ergo spirari et generari concurrerent in eadem persona, nisi illa quae spiratur procederet a genita.

Praeterea, si Filius et Spiritus Sanctus distinguerentur supposita, non emanatione unius ab altero, aut hoc erit quia modi emanationum utriusque a Patre sunt alterius rationis ex se formaliter, aut quia sunt alterius rationis propter formales terminos, aut propter formalia
 465 principia, aut propter subiecta. Nullum istorum dari potest, non enim possunt se ipsis distinguere formaliter, cum productiones non possint imaginari ut habentes distinctionem nisi ratione terminorum, ut illuminatio et calefactio, aut ratione materiae et subiecti (ut generatio mulieris ex semine et putrefactione), aut ratione principii (ut creatio hominis a Deo et productio eiusdem ab agente naturali). Non distinguuntur ergo generatio Filii et spiratio Spiritus se ipsis formaliter,
 470 sed ex parte terminorum, cum formalis terminus sit essentia; nec ex parte subiectorum, cum ibi non sit materia; nec ex parte principiorum, cum Pater sit principium. Igitur nullo modo distinguetur Spiritus Sanctus a Filio, si ab eo non procedit.

Praeterea, in divinis non potest esse realis distinctio nisi secundum diversos modos habendi eandem essentiam, dicit enim Anselmus, *De processione Spiritus Sancti*, capitulo 2, quod sola
475 causa pluralitatis in Deo est quia duobus modis est Deus de Deo. Sed non essent duo modi habendi divinam essentiam in Spiritu Sancto et Filio nisi unus acciperet eam ab alio, nec enim esset respectu eius Deus de Deo. Ergo non distingueretur nisi procederet.

Praeterea, illa non distinguuntur realiter quorum distinctiva principia realem distinctionem non habent. Sed generari et spirari non distinguerentur realiter nisi generari staret cum spirare,
480 sicut nec generare et spirare differrent nisi spirare staret cum generari. Ergo si Filius non spiraret, generari et spirari non differrent, et per consequens nec genitus nec spiratus.

Praeterea, Augustinus dicit VI *De trinitate*, capitulo 2, quod Filius a Patre non distinguitur nisi secundum esse relativum. Sed si a Filio Spiritus non procederet, non referretur ad ipsum. Igitur id quod prius.

485 Praeterea, relationes disparatae non distinguunt supposita, alioquin generare et spirare distinguerent Patrem – et ratio huius est quia relatio est habitudo et intervallum inter correlativa tantum, propter quod nihil aliud differre facit nisi correlativa. Sed generari et spirari sunt tantummodo proprietates disparatae. Igitur supposita Spiritus Sancti et Filii non distinguunt.

Nec valet, si dicatur quod generare et spirare sunt compossibiles in eodem supposito, quia ab
490 eodem plura possunt produci, sicut patet quod homo generat filium per naturam et archam per artem, et tamen est unus homo. Hoc quidem non valet, quia per hoc probatur quod productiones seu relationes disparatae non sunt sufficientia distinctiva suppositorum, quia ubicumque essent, ibi distinguerent, alias esset contradictio, sicut quod albedo esset in aliquo, et illud non esset album; unde archa /Vb 184rb/ et filius non distinguerentur secundum supposita, nisi quia unum
495 /X 355b/ est lignum et aliud est homo, quod si faber per artem suam fabrilem posset filium generare, filius natura genitus, et per artem non distinguerentur* suppositaliter et in natura humana.

Et si dicatur ulterius quod relationes disparatae non sufficiunt ad distinguendum personas, nisi quatenus personales sunt personas constituentes, unumquodque enim eo distinguitur quo
500 constituitur; persona autem <Filii> filiatione constituitur et persona Spiritus Sancti spiratione passiva; et per consequens spiratione et filiatione distinguentur. Siquidem hoc non valet, quia pari ratione poni posset quod spirare et generare constituerent duas personas producentes et quod per eas sufficienter distinguerentur illae duae personae; et secundum hoc esset quaternitas personarum, essent enim duae improductae, una spirans, reliqua generans, et duae productae,
505 una spirata, reliqua generata.

Praeterea, ubi persona producens constituitur activa productione, sicut et producta productione passiva, ibi aequae sunt compossibiles duae productiones passivae in eadem persona, sicut duae productiones activae, et e converso. Sed in divinis activae productiones constituunt personas sicut et passivae, Pater enim constituitur per generare, sicut Filius per
510 generari. Ergo si in persona Patris sunt compossibiles generare et spirare, et in una persona essent compossibiles generari et spirari, nisi emanatio unius ab altero impediret.

Praeterea, in Filio potest esse quicquid Filio non repugnat. Sed si Spiritus Sanctus non procederet ab eo, spirare sibi non repugnaret, non enim repugnaret sibi ratione filiationis, quia filiatio et spiratio non sunt opposita. Et breviter nihil opponitur aut repugnat filiationi nisi
515 paternitas sola. Ergo si filius non spiraret, sibi posset competere spirari passive, et per consequens non distingueretur personaliter a Spiritu Sancto.

Praeterea, distinctio disparatarum relationum praesupponit vel distinctionem fundamentorum (ut patet de similitudine et aequalitate in eodem Sorte), vel distinctionem suppositorum (ut patet de duplici paternitate in duobus hominibus). Sed generatio et spiratio passive sumptae non
520 possunt disparatae distingui penes fundamenta, cum fundamentum sit divina essentia. Distinguentur ergo penes supposita, et per consequens non possunt distinguere personas; sed oportet quod aliunde distinguantur, utpote quia una procedit ab alia.

Opinio Henrici, quolibeto V, quaestione 9, et Scoti. Dixerunt vero alii quod Filius distinguitur
525 personaliter a Spiritu Sancto, primo quidem et sufficienter per filiationem, secundo vero et

concomitanter per activam spirationem; et per consequens dato quod Spiritus non emanaret ab eo, adhuc sufficienter distingueretur, cum remaneret primum et formale et sufficiens principium distinctivum. Quod ergo filiatio personaliter distinguat Filium a Spiritu Sancto, potest multipliciter declarari. Unaquaeque enim persona sufficienter distinguitur suo constitutivo, quia

530 **/X 356a/** ens et unum convertuntur; sed filiatio est sufficiens constitutum principium personalitatis ipsius Filii, quod apparet ex tribus. Primo quidem, quia spi-**/Vb 184va/**-ratio passiva sufficienter constituit personam Spiritus Sancti, et per consequens filiatio sufficienter constituet personam <Filii>, non enim minoris sufficientiae est passiva generatio quam spiratio.

Secundo vero quia persona Filii simplex est, propter hoc habet simplex constitutum. Illud

535 ergo vel erit activa spiratio, quod esse non potest cum sit adventitia proprietas et non personalis secundum omnes; erit ergo illud constitutum passiva generatio vel filiatio ipsa.

Tertio quoque, quia Filius producitur a Patre ut persona distincta. In quantum autem a Patre producitur, non aspicit Spiritum Sanctum, et ita filiatione constituetur. Relinquitur igitur quod per ipsam sufficienter personaliter distinguatur ab ipso Spiritu Sancto.

540 Praeterea, productiones impossibiles in eodem supposito sufficienter distinguunt supposita, etiam omni alio circumscripto, alias si non distinguunt, concurrent in eodem supposito, cuius oppositum accipiebatur in subiecto propositionis, <sumebatur> [sumobatur!] enim quod essent impossibiles in supposito eodem. Sed generari et spirari sunt impossibiles in eodem supposito, impossibile est enim idem suppositum bis produci aut

545 duplici productione perfecta et completa, ita quod quaelibet producat totum – tunc enim altera superflueret cum altera faceret totum. Ergo generari et spirari sufficienter distinguunt modo suppositali et personaliter Spiritum Sanctum et Filium, esto etiam quod unus ab alio non procedat. Et per oppositum patet quomodo generare et spirare non distinguunt Patrem, quia idem suppositum et potest duo producere et duplici productione producere sicut ad sensum

550 patet.

Praeterea, dato quod Spiritus Sanctus non emanaret a Filio, adhuc distingueretur personaliter a Patre, et similiter Filius distingueretur personaliter a Patre. Aut igitur essent una persona producta a Patre aut duae personae. Sed non potest poni quod una, quia tunc duae productiones reales terminarentur ad eundem realem terminum, quod est impossibile. Ergo de necessitate

555 essent duae et distinctae personae.

Praeterea, dato per impossibile quod Spiritus Sanctus non procederet a Patre, sed a solo Filio, adhuc distingueretur a Patre per solam spirationem passivam ex parte sua et paternitatem ex parte Patris. Sed non minoris sufficientiae est filiatio in Filio quam paternitas in Patre. Ergo dato quod Filius non produceret Spiritum Sanctum, adhuc filiatio personaliter distingueretur ab

560 eo.

Praeterea, manente causa, manet effectus; sed causa quare Spiritus Sanctus non est Filius, est quia procedit, non quomodo natus, sed quomodo datus ut Augustinus dicit, V *De trinitate*, capitulo 17, et similiter Anselmus, *De processione Spiritus Sancti*, capitulo 2, quod Filius non est Spiritus Sanctus, ut interim alia causa detur, cum nondum constet quod Spiritus de illo sit et

565 procedat, ideo inquam non est Spiritus nec Spiritus est Filius, quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus Sanctus non **/X 356b/** nascendo, sed procedendo. Ergo cum isti modi emanationum adhuc manerent per modum nativitatis et doni, evidenter patet quod nondum Spiritus Sanctus esset Filius, et per consequens personaliter distinguerentur.

Concludunt ergo isti quod filiatione et spiratione passiva Spiritus Sanctus et Filius

570 personaliter distin-**/Vb 184vb/**-guuntur sufficienter, et primo quamvis concomitanter, et secundario distinguantur spiratione activa et passiva, sicut homo distinguitur a leone per rationale primo et principaliter, licet per risibile distingui possit concomitanter.

Et in hoc finitur articulus secundus.

575

Articulus Tertius

Ubi dicitur iuxta illud quod videtur.

Circa tertium autem considerandum quod veritas huius quaesiti ex quatuor propositionibus poterit apparere.

580

Quod persona Filii non distinguitur a persona Spiritus Sancti per spirare personaliter.[**Quod spirare non distinguitur praecise a Spiritu Sancto, contra primum opinionem**] Prima quidem quod persona Filii non distinguitur personaliter a persona Spiritus Sancti per spirare praecise, illo namque persona Filii distinguitur personaliter, a quo habet quod sit persona, eadem enim est differentia constitutiva speciei, et condivisiva ab alia specie infra idem genus, ut Porphyrius dicit. Et est notum per se quod omnis res in tali esse constituit, in quali esse distinguit; unde si albedo distinguit qualitative album a nigro, dat esse qualitativum, et si distingueret substantialiter, daret esse substantiale. Quod igitur distinguit personaliter, dat esse personam. Sed constat quod Filius non est praecise persona per spirationem activam, tunc enim filiatio esset extra personalitatem Filii, et ita non esset proprietas personalis, quod est contra concessum ab omnibus. Ergo spirare praecise sumptum non distinguit personam Filii a persona Spiritus Sancti.

585

590

Praeterea, quandocumque aliquod unum et simplex distinguens personaliter ab aliquo, quaecumque distinguit ab illo ut unam personam distinguit. Si enim est unum simplex distinguens personaliter, cuicumque dat esse distinctum, dat quod sit unum simplex personaliter distinctum. Utrum autem simplex personaliter distinctum necessario est una simplex persona, alioquin si duae, non erit unum distinctum personaliter, immo plures personae personaliter distinctae. Sed spirare praecise sumptum est unum simplex distinctivum. Si igitur personaliter distinguit Filium a Spiritu Sancto et similiter Patrem, sequitur quod Pater et Filius sunt una simplex persona distincta per spirare a Spiritu Sancto. Hoc autem est erroneum, tunc enim ex Patre et Filio conflaretur una persona, et rediret error Sabellii confundentis et commaffantis personas. Ergo impossibile est poni quod spirare praecise sumptum distinguat personam Filii a persona Spiritus Sancti in esse personali.

595

600

Praeterea, effectus formalis numeratur ad numerationem formae, unde quia deitas est una in **/X 357a/** tribus personis, tres personae sunt unus Deus, et quia spirare est idem in Patre et Filio, Pater et Filius sunt unus spirator. Sed constat quod Pater et Filius non sunt una persona respectu Spiritus Sancti, sic quod distinguantur ab eo tamquam una persona ab alia una persona. Ergo non distinguuntur praecise per spirare a persona Spiritus Sancti, immo cum hoc quod per spirare distinguuntur, aliquid facit ex parte personae Patris paternitas et filiatio ex parte Filii.

605

610

Praeterea, impossibile est unam simplicem personam duobus personaliter distingui, sicut unum simplex quale impossibile est duabus qualitibus distingui. Si enim sunt duae qualitates, constituunt duo qualia, et similiter si sunt duae personalitates vel duo personalia, duae personae. Stante igitur per-**/Vb 185ra/**-sonalitate simplicissima, necesse est ut non sint duo personaliter distinctiva. Sed persona Filii est simplicissima. Ergo alia personalitate non distinguetur a Patre, et alia a Spiritu Sancto, sed eadem personalitate; et per consequens toto eo quod pertinet ad personalitatem Filii distinguetur a Spiritu Sancto, non igitur per spirare praecise.

615

Et si dicatur quod immo Sortes distinguitur a lapide per rationale et animal, dicendum quod in quantum prima substantia, quia ut sic non est nisi una prima substantia, impossibile est quod distinguatur per rationale et animal. Unde verum est quod realiter distinguitur per utrumque, non tamen sicut prima substantia. Et similiter in proposito per spirare et generari Filius distinguitur realiter, sed personaliter nullo modo per alium* praecise.

620

Si etiam ulterius dicatur quod secundum hoc Filius distinguetur a Patre per spirare et generare, dicendum quod per generare distinguitur realiter, non tamen personaliter; per spirare vero nec realiter nec personaliter; per propriam vero perseitatem et singularitatem, quae resultat ex spirare et generari atque essentia, quae omnia unum sunt unitate indistinctionis, distinguitur personaliter a Patre et per eandem distinguitur a <Spiritu Sancto> [Filio], et secundum hoc est eadem personalitas et secundum eundem modum in Filio prout distinguitur a Patre et a Spiritu Sancto.

625

630 **Quod persona Filii non distinguitur personaliter a Spiritu Sancto per solam filiationem, contra secundam opinionem.** Secunda vero propositio est quod nec filiatio sufficienter distinguit Filium a Spiritu Sancto in personalitate, illud enim non praecise distinguit quod non praecise constituit. Sed filiatio non praecise constituit Filii personalitatem, quia secundum hoc spiratio activa esset adventitia et extra personalitatem Filii et suam perseitatem ac personalem
635 discretionem, quod esse non potest, quia tunc esset accidens sibi adveniens, tamquam aliquid extrinsecum et sine quo Filius remaneret persona. Ergo impossibile est poni quod sola filiatione personaliter distinguatur. Hoc autem magis patebit in propositione sequenti. /X 357b/

Quod intra personalitatem Filii est intrinsece spiratio activa et filiatio. Tertia quoque
640 propositio est quod tam essentia quam activa generatio, et similiter spiratio activa ad personalitatem Patris intrinsece concurrunt; generari vero et spirare atque essentia ad personalitatem Filii; spirari autem et divina essentia tantum ad personalitatem Spiritus Sancti. Quandocumque enim aliqua sic se habent quod neutrum illorum habet propriam unitatem, sed fundant penitus unitatem eandem, de necessitate fundant personalitatem eandem. Ex quo enim
645 perseitas tertii modi sive per se unitas est idem quod personalitas, si sit in natura intellectuali, ut declaratum est supra, si sint aliqua non habentia unitatem per se, quot concurrunt ad fundandam eandem unitatem, tot pertinet intrinsece ad eandem personalitatem. Sed in Filio, nec essentia habet unitatem per se nec generari, nec etiam <spirare> [spirari], sed fundant eandem unitatem et uniuntur per omnimodam indistinctionem. Si enim aliquod istorum haberet propriam
650 unitatem et perseitatem tertii modi, ita ut caderet inter ea minima distinctio, necessario ponerent in numerum, /Vb 185rb/ et facerent aliquem modum compositionis in persona Filii; nec esset aliquid eo simplex Filius, sicut essentia, et tolleretur praedicatio istorum de persona; nec enim Filius esset generari aut spirare aut essentia, quia de nullo composito ex distinctis praedicatur aliquod componentium, pro eo quod talia habent rationem partis, et non totius, ex quo non dicit
655 quodlibet omnia alia, sed mutuo distinguuntur, ut habentia propriam unitatem. Cum ergo haec omnia sint absona circa personam Filii, relinquitur quod nullum istorum habeat propriam unitatem, sed quod fundent eandem penitus, et resultet ex eis una perseitas et personalitas, et per consequens quod concurrant intrinsece ad constitutionem unius personae, ita ut unum sine aliis non sufficiat, nec duo sine tertio.

660 Praeterea, illa dicuntur intrinsece pertinere ad aliquid, quorum collectio habet constituere illud. Sed expresse dicit Anselmus *De processione Spiritus Sancti*, capitulo 24, quod tribus personis in divinis commune est ad duas habere relationes: Pater enim ad Filium et Spiritum Sanctum; Filius ad Patrem et Spiritum Sanctum, qui est de Patre et Spiritus de illo; Spiritus ad Patrem et Filium, quia est de utroque. Possidet ergo unusquisque suas proprietates, quarum
665 collectio in alio non est eadem, ad similitudinem hominum diversorum, per hoc enim hominum diversae sunt personae, quia uniuscuiusque proprietatum collectio non est in alio eadem. Haec* Anselmus. Unde patet quod collectio passivae generationis, qua Filius refertur ad Patrem, et activae spirationis, qua refertur ad Spiritum, constituit Filii personalitatem et distinguit. Relinquitur igitur, secundum eum, quod omnia pertineant intrinsece ad Filii personalitatem et
670 eodem modo de proprietatibus aliarum personarum respectu earundem.

Praeterea, si personalitas Filii intrinsece non includeret nisi essentiam et generationem passivam, tunc activa spiratio assisteret personae /X 358a/ et non constitueret eam. Hoc autem est erroneum, redit enim error dicentium proprietates assistere personis. Ergo spirare pertinet intrinsece, et per modum constituentis ad personalitatem Filii et similiter ad hypostasim Patris.

675 Praeterea, Augustinus dicit I *De doctrina christiana*, capitulo 1, quod res quibus fruendum est sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus; et frequenter dicit quod sola trinitate fruendum est tamquam incommutabili bono et ita nulla re fruendum est quae sit extra personalitatem trium suppositorum divinorum. Sed ipso spirare fruendum est, in personis enim adorari debet proprietates secundum auctoritatem Ecclesiae, solum autem illud adorandum est quod beatos
680 nos facit et quo fruendum est. Ergo spirare de necessitate includitur intra Filii et Patris personalitates.

Praeterea, si non includatur intra personalitatem Patris vel Filii spiratio activa, tunc Filius est per se unus singulus* et discretus sine ipso spirare. Hoc autem est impossibile: tum quia de illa re sic per se et discreta non praedicabitur res importata per spirare, nullum enim adveniens
685 alicui distincto praedicatur de illo nisi denominative; tum quia illud tale importatum per spirare vera res est, cum sit productio realis, per quam realiter producitur Spiritus Sanctus. Erit ergo res qua utendum est quod /Vb 185va/ esse non potest, cum non sit utendum Deo aut aliquo existente in eo, aut erit res qua fruendum est, et sic in Filio erit propria personalitas, qua fruendum est et aliquid existens extra eam qua etiam fruendum est. Et secundum hoc erunt in eo
690 duae rationes fruibiles fruibilitatis et duo quibus fruendum est, in Spiritu autem Sancto tantummodo unum, quod absurdissimum est. Relinquitur ergo quod sic ingrediatur personalitatem Filii quod nec possit deitas et filiatio praescindi ab ipsa spiratione activa nec e converso, et per consequens quod constituent eandem per se unitatem et personalitatem.

Praeterea, sicut se habet essentia ad personalitatem Filii, sic se habet spiratio activa, communicatur enim spiratio activa simul et eodem ordine cum essentia, non est enim
695 imaginandum quod prius communicetur essentia et uniatur filiationi et deinde quod superveniat spiratio activa, immo eodem ordine quo omnes perfectiones simpliciter communicantur cum essentia duobus, Filio scilicet et Spiritui Sancto, eodem ordine cum essentia communicatur Filio spiratio activa, communicatur enim sibi quicquid est in Patre ad quod non habet oppositionem;
700 non habet autem oppositionem ad activam spirationem, sicut nec habet ad essentiam, propter quod simul sibi communicantur et ordine eodem. Sed constat quod essentia communicatur sibi, non tamquam adventitium personalitatis suae, immo quasi intraneum, ex quo cum proprietate persona constituitur. Ergo sic erit de spiratione.

Concludendum est igitur ex praedictis quod sicut se habet generare ad deitatem – quod non
705 potest praescindi ab ea, nec e converso – sic se habet utrumque ad spirare: quod non potest praescindi ab eo, nec e converso, propter quod constituunt quandam per se unitatem, quae est personalitas Patris, et similiter deitas et spirare et generari. /X 358b/

Et si dicatur quod secundum hoc plures proprietates constituent personalitatem Patris et Filii quam Spiritus Sancti, dicendum quod sicut non est inconveniens esse plures proprietates in eis
710 quam in Spiritu Sancto, sic non est inconveniens quod sint plures constituentes eorum personalitates; maius quidem inconveniens esset, si non constituerent, sed assisterent extrinsece quasi adventitiae et accidentales. Si etiam ulterius diceretur quod Doctores dicunt spirationem activam non esse proprietatem personalem, dicendum quod non sequitur ex hoc quin ingrediatur intrinsece constitutionem personae, sicut et essentia, de qua nullus dicit quod sit condicio
715 personalis, appellatur quidem personalis proprietas quod est proprium uni personae. Hoc autem non competit spirationi activae, cum sit communis Patri et Filio, et ex hoc est quod non dicitur proprietas personalis.

Si diceretur etiam quod filiatio constituit modo formali Filii personalitatem, dicendum est quod personalitas non est participatio alicuius formae eo modo quo effectus formalis est forma
720 participata; non est enim aliud album quam albedo communicata subiecto. Non sic autem de personalitate, sed est aliquid resultans, sicut grosso modo exemplificari potest in forma domus, quae resultat ex pluribus, fundamento videlicet, parietibus, ac tecto. Iuxta istam ergo similitudinem ratio personalitatis, quae non est aliud quam perseitas tertii /Vb 185vb/ modi aut per se unitas, dicitur resultare ex essentia, generatione passiva, et spiratione activa in Filio, pro
725 eo quod nullam habet unitatem per se, sed constituunt eandem unitatem sive perseitatem, et per consequens personalitatem. Dicitur tamen filiatio ‘formalis’, non quod sit forma, sed quia quodam modo principalis, eo modo quo tectum in domo. Sed de hoc magis inferius apparebit, dum agetur de constitutionibus personarum.

730 **Quod si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, adhuc remaneret, unde realiter distingueretur, non tamen personaliter, ex quo solvuntur motiva suprapositarum opinionum.** Quarta demum propositio est quod si Spiritus Sanctus non emanaret a Filio, non distingueretur Filius personaliter ab eo, non quia concurrerent Filius et Spiritus Sanctus in eandem personam, ut imaginatur prima opinio, immo Spiritus Sanctus remaneret perfecta

735 persona; sed quia Filius desineret esse persona, contra id quod imaginatur opinio secunda, adhuc tamen in Filio remaneret aliquid realiter distinctum a Spiritu Sancto, videlicet generari quod impossibile est cum spirari, in quo secunda opinio verum dicit et prima opinio deficit, ut patebit.

Primum ergo potest faciliter ex praecedentibus concludi, quodcumque enim aufertur ab aliquo id quod est de intraneitate suae perseitatis et personalitatis, aufertur necessario personalitas, et personalis distinctio eiusdem ab alio quocumque. Sed si Spiritus Sanctus a Filio non procedit, statim aufertur a Filio spirare, quod erat de perseitate et personalitate Filii, et per consequens generari et essentia, quae remanent, carent unitate, nec fundant aut constituunt /X 359a/ perseitatem aliquam seu personalitatem. A Spiritu vero Sancto non aufertur spirari, cum perfecte spiretur a Patre, non enim unam partem spirat Filius et aliam Pater, sed est complete et perfecte ab ipso Patre, et per consequens tota personalitas Spiritus Sancti remanet integra, cum nihil auferatur. Ergo si Spiritus a Filio non procedat, Filius desinet esse persona, Spiritu Sancto remanente persona, et sic non distinguetur* personaliter Filius a Spiritu Sancto, quod non erit ex parte Spiritus, sed ex parte Filii, qui desinet esse persona.

750 Nec motiva opinionis secundae oppositum huius concludunt. Primum siquidem non, assumit enim quod sola filiatio constituat Filii personalitatem et quod spirare sit adventitium et extra personalitatem, quod omnino est impossibile, ut probatum est supra. Quod autem additur quod passiva generatio constituit Spiritum Sanctum, dicendum quod non est ex imperfectione passivae generationis, quod ex ipsa et essentia non resultat praecise Filii personalitas, sed est ex 755 condicione ipsius Verbi, de cuius ratione est etiam in verbo nostro, quod sibi communicentur omnia praeter quam dicere et formare; sicut ergo communicatur essentia eadem, sic et Spiritum emittere et caetera omnia; quare sicut essentia ad personalitatem concurret, sic concurret et spirare. Non sic autem de Spiritu, cui non communicatur verbum formare; nam illud formatum praexigit, et productum quod etiam adiungitur personam Filii, cum sit simplex, debere 760 constitui aliquo simplici constitutivo, dicendum quod hoc procedit ex imaginatione quae vera non est, /Vb 186ra/ qua aliqui imaginantur quod proprietas det formaliter esse personam, sicut albedo dat esse album; non est autem sic, sed personalitas est quaedam per se unitas ex essentia et proprietate resultans; et pari ratione potest consurgere ex essentia et pluribus proprietatibus. Quod vero additur Filium esse personam perfectam, prout a Patre producitur, dicendum quod 765 verum est, sed ut sic essentia et spirare sibi comunica<n>tur; unde sua personalitas ex illis consurgit, non ex filiatione sola.

Non concludit etiam motivum secundum, quamvis enim generari et spirari sint impossibiles in eodem supposito, non tamen propter hoc constituunt sufficienter supposita, alioquin sine essentia constituerent, quod non est verum; spirari igitur et essentia constituunt 770 Spiritus Sancti personalitatem. Generari autem, licet sit impossibile cum spirari, nihilominus non constituit cum essentia personalitatem Filii, nisi adsit spiratio activa. Probat ergo haec ratio quod generari et spirari non essent in eodem supposito, dato etiam quod Spiritus non procederet a Filio; sed non probat quod suppositum Filii remaneret.

Nec valet etiam tertium, quia Spiritus Sanctus esset utique persona distincta a Patre. Sed 775 Filius non esset distincta persona, nec a Spiritu nec a Patre, pro eo quod demeretur ab eo perseitas, quae consurgebat ex essentia, spirare, ac generari, et remaneret essentia cum generari illato a generare paterno, ut supra extitit declaratum.

Non valet etiam quartum, quia Pater non remaneret persona, si Spiritus Sanctus ab eo non procederet, pro eo quod demeretur spirare /X 359b/ quod concurret intrinsece ad eius 780 personalitatem. Unde idem iudicium est de Patre, quod est de Filio; a quocumque enim auferatur activa spiratio, ille non remanet persona.

Non valet etiam quintum, verum est enim quod Spiritus Sanctus adhuc remaneret persona, et procederet quo modo datus, nec in eo esset passiva generatio ut procederet quo modo natus. Sed passiva generatio esset totaliter extra personalitatem ipsius, non tamen propter hoc remaneret 785 integra Filii persona.

Quod si obiciatur quod hoc est impossibile, tum quia spirare praescindi non potest ab essentia et generari, tum quia essentia et generari non possunt manere sine spirare nisi haberent

per se unitatem et propriam distinctionem – dicendum quod utique hoc est in summo impossibile, et ideo impossibile est quin Spiritus Sanctus procedat a Filio. Sed ex quo illud
790 ponitur possibile, disputative ponatur, et istud ad videndum quid sequitur de distinctione harum
duarum personarum, Filii videlicet et Spiritus Sancti; unde vere sequitur id quod conclusum est
contra utramque opinionem. Nec enim Filius erit persona nec distinguetur personaliter, ut
voluerunt secundo opinantes, nec erit unum suppositum Filius et Spiritus Sanctus, ut primi
positores dixerunt.

795 Secundum vero, videlicet quod adhuc in Filio remaneret aliqua res distincta a Spiritu Sancto
et impossibilis personalitati ipsius, manifeste sequitur ex praedictis. Duae namque passivae
productiones, per quas perfecte capit esse productum, impossibile est quod attingant idem
productum; cum enim altera totum faceret, altera nihil faceret, et iterum una dempta, totus
800 effectus remaneret, quod est contra rationem omnis causalitatis, /Vb 186rb/ quia dempta causa
demitur effectus et iterum altera superflueret. Unde ex terminis apparet quod est repugnantia
duarum productionum, quarum quaelibet totum complete producat respectu eiusdem producti.
Sed generari et spirari sunt duae productiones passivae, quae etiam essent distinctae, dato quod
Spiritus Sanctus non procederet a Filio, sicut expresse dicit Anselmus, *De processione Spiritus
Sancti*, capitulo 2; ait enim quod licet non constet adhuc quod Spiritus procedat a Filio et
805 loquitur pro principio libri, antequam istud probaverit contra Graecos, licet inquit istud non
constet; constat tamen quod distinguuntur Filius et Spiritus, quia iste est ex Deo nascendo et ille
procedendo. Ergo passiva generatio nondum esset in persona Spiritus Sancti, immo
distingueretur ab ea et esset impossibilis sibi, dato quod Spiritus non emanaret a Filio.

Praeterea, constat quod generari et spirari sunt impossibilia in eodem supposito, quam
810 impossibilitatem facit spirare, quod est a genito secundum sic ponentes. Spirare ergo
secundum eos dat ipsi generari impossibilitatem cum spirari passivo. Aut igitur hoc sibi dat
effective aut formaliter aut in alio genere causae. Non potest poni quod hoc det sibi formaliter,
quia tunc spirare et generari essent idem formaliter, quod dici non potest, cum generari sit quasi
passio et spirare sit actio et iterum quia spirare est vere in Patre, cui repugnat /X 360a/ generari.
815 Relinquitur ergo quod in alio genere causae contrahat generari ad spirare impossibilitatem
cum spiratione passiva. In quocumque autem genere sit, se ipso habebit impossibilitatem
formaliter, quamvis active vel aliter a spirare. Sed constat quod illud quod inest alicui formaliter
et debetur sibi ex sua ratione, remanet quocumque alio dempto sive per possibile sive per
impossibile. Ergo dempto spirare, adhuc remanebit impossibilitas generationis passivae cum
820 spirari passivo.

Et confirmatur quia licet caelum habeat quod sit pervium a Deo effective, a se ipso vero
formaliter, si poneretur per impossibile quod non conservaretur a Deo, sed remaneret caelem per
se, adhuc pervium esset.

Praeterea, quodcumque aliquid non est causa secundum rem alicuius, sed est causa
825 tantummodo ut illud innotescat, illo dempto per impossibile, potest aliud remanere; alioquin si
non maneret, esset causa illius secundum rem, et non solum secundum innotescentiae rationem.
Sed spirare non est causa secundum rem quare generatio et spiratio passive sumptae sunt
impossibiles invicem. Quod patet quia quicquid competit rei alicui in divinis, competit sibi
formaliter ex se; passivae autem generationi et passivae spirationi competit impossibilitas
830 mutua, et ita necesse est quod oriatur ex propriis eorum rationibus. Et item si spirare esset causa
huiusmodi impossibilitatis, aut hoc esset quia spirare et generari sunt idem in Filio, aut quia
sunt simul in eo, aut quia generari est praevium ad spirare; non potest poni primum nec
secundum nec tertium, quia eodem modo idem est spirare cum essentia in Filii persona, et simul
est cum essentia, et spirare supponit essentiam in Filio, et tamen non dat essentiae
835 incommunicabilitatem respectu Spiritus Sancti, nec quod essentia et spiratio passiva
impossibiles sint; ergo nec generationi passivae dabit quod impossibilis /Vb 186va/ sit
spirationi nisi ipsae hoc habeant formaliter ex se ipsis. Relinquitur ergo quod spirare sit causa
solum ut innotescat impossibilitas ista; unde non dicuntur spirari et generari distingui per
spirare realiter, sed tantum innotescerent quare, dempto spirare, adhuc passiva generatio Spiritui
840 repugnabit.

Praeterea, quicquid est causa causae, est causa effectus. Sed secundum sic ponentes, causa impossibilitatis passivae generationis et passivae spirationis est quia ista illam praeexigit in supposito producente; causa vero quod ista praeexigat et illa praeexigatur est ex formalibus rationibus earundem. Ergo istae rationes sunt causa primaria impossibilitatis. Dempta igitur
845 causa secunda, adhuc remanebit prima; unde dato quod spiratum non sit a genito, adhuc suis formalibus rationibus, generatio et spiratio passive sumptae, impossibiles erunt.

Nec motiva primae opinionis oppositum concludunt. Primum siquidem non, quia Anselmus expresse dicit quod processio et nativitas distinguuntur, esto quod a Filio Spiritus non procedat, alias ridiculose dixisset quod Spiritus Sanctus et Filius distinguuntur, quia ille est a Deo
850 procedendo, et iste nascendo, antequam constet quod Spiritus /X 360b/ a Filio procedat. Dicendum igitur quod spirari et generari sunt relationes et productiones non quidem oppositae relative, nec solummodo disparatae, ut similitudo et aequalitas sive spirare et generare, sed sunt productiones impossibiles suis formalitatibus, sicut probatum est supra eo modo quo duae formae substantiales specificae et ultimate sunt impossibiles in eadem parte materiae et
855 possunt vocari oppositae quia impossibiles. Sic igitur dictum Anselmi debet intelligi quod omnis distinctio in divinis fit per relationes oppositas, hoc est impossibiles. Quod autem additur quod non distinguunt nisi a coopposito, si intelligatur de coopposito relative, falsum est; si vero de coopposito, hoc est de illo, cui impossibiles sunt, verum est, et secundum hoc spirari et generari coopposita sunt. Quod autem additur quod relatio non est ens nisi dum ad
860 oppositum comparatur, dicendum quod, licet non sit nisi comparatio ad oppositum, comparatio tamen potest ad aliud quam ad oppositum comparari. Possumus enim facere comparationes et facimus tota die inter relationes, inquirendo quomodo sunt alterius speciei et quomodo se habeant infra praedicamentum relationis; dicimus quidem quod quaedam conveniunt in genere generalissimo, quaedam vero in subalterno et quod quaedam differunt sic, quaedam alio modo.

865 Non valet etiam secundum motivum, spirare enim et generare active sumpta nullam impossibilitatem habent, sicut probatum est quod generari et spirari omnibus aliis circumscriptis ex suis propriis rationibus impossibilia sunt.

Non valet quoque tertium, quia licet emanationum diversitas ex subiectis vel terminis vel productivis principiis innotescat, nihilominus formaliter distinguuntur se ipsis.

870 Non valet etiam quartum, nam modi habendi divinam essentiam diversi sunt in Spiritu Sancto et Filio ex se formaliter in quantum unus est Deus positus in esse conspicuo et formato, quod est ratio Verbi, alius vero est Deus /Vb 186vb/ positus in esse lato et flato, ut supra declaratum est, quod pertinet ad rationem Spiritus. Dato autem quod Spiritus non poneretur in tali esse a filio, sed a solo Patre, adhuc suus modus essendi proprius per modum flatus, alius
875 esset a modo Verbi.

Non valet etiam quintum, falsum est enim quin generari et spirari distinguerentur suis formalitatibus, circumscripto spirare, quamvis hoc innotescat ex hoc quod spirare simul stat cum generari. Et quod dicitur de generare et spirare active sumptis in Patre, dicendum quod sunt idem identitate indistinctionis, quamvis non identitate repetitionis eiusdem rei sub alia ratione;
880 quodlibet enim est res, et ideo potest generare esse impossibile cum generari, cui tamen compossibile est spirare. Unde patet quod maior repugnantia est inter productiones passivas quam activas.

Non valet etiam sextum, quia licet omnis distinctio sit in divinis secundum esse relativum, non tamen omnis est inter relativum et suum correlativum, sed inter relativum et aliud relativum
885 impossibile. /X 361a/

Non valet etiam septimum quia generare et spirare suis formalibus rationibus non sunt impossibilia, sicut probatum est de spirari et generari. Et quod additur de relationibus disparatis, dicendum quod huiusmodi relationes non sufficienter distinguunt supposita ex sola ratione disparationis, sed si cum hoc quod sunt disparatae habent formalem repugnantiam et
890 impossibilitatem, qualia sunt generari et spirari, nec est verum quin Filius generatus per artem et generatus per naturam essent omnino alia supposita, si ars et natura haberent productiones alterius rationis; sed quia ars assimilativa est, sicut natura, eadem productio posset esse modo naturae et artis, sicut Filius in divinis emanat ut ars et modo naturae, quia ut Filius et

ut Verbum. De Spiritu autem et Verbo non est sic, quia unus emanat per modum flatus et alius
 895 per modum conceptus qui modi emanationum sunt omnino diversi et impossibiles in eodem.
 Quod autem ulterius additur quod productiones activae constituent personas, et ita generare et
 spirari deberent constituere duas primas personas improductas, dicendum quod non est verum
 productiones activas aut passivas constituere personas, nisi una est essentia, et ideo
 900 productiones quae habent inter se identitatem indistinctionis ita quod cum essentia fundant
 eandem unitatem, illae habent constituere unam personam; est autem sic de generare et spirare,
 ut saepe dictum est.

Et si quaeratur quare generare et spirare non sunt productiones quarum quaelibet cum
 essentia possit fundare propriam unitatem, sicut spirari passive sumptum potest, dicendum quod
 hoc est ex condicione amoris et intellectionis, prout activa sunt. Formare enim Verbum et
 905 emittere Spiritum eidem subsistenti competunt, propter quod formare et spirare concurrunt ad
 eandem personalitatem et perseitatem; si autem debent concurrere, necesse est ut neutrum per se
 habeat unitatem, sed ambo simul cum tertio fundent eandem unitatem atque perseitatem.

Non valet quoque octavum propter eandem rationem, quia generari et spirari suis formalibus
 rationibus impossibilia sunt. Non sic autem de generatione et spiratione sumptis active. Et
 910 per idem patet ad nonum.

Non **/Vb 187ra/** valet denique ultimum, non est enim verum quin disparatae relationes
 possint habere se ipsis formalem repugnantiam, ut declaratum est, et amplius declarabitur
 distinctione 13, cum quaeretur quomodo differunt generatio et spiratio in divinis.

Ex praemissis itaque patet quanta necessitate Spiritus Sanctus procedit a Filio: quia si non
 915 procederet, Filius non esset persona nec distingueretur personaliter, in quo deficiebat opinio
 secunda, nec tamen Spiritus Sanctus propter hoc esset Filius aut desineret esse persona, nec
 esset in eo passiva generatio, ut imaginabatur prima opinio, quae quantum ad hoc magis deficit
 quam secunda.

Et in hoc articulus tertius terminetur. **/X 361b/**

920

Responsio ad obiecta

Ad ea ergo quae superius inducuntur, dicendum est. Ad primum quidem quod Filius in
 Evangeliiis Spiritum dicit a Patre procedere ne si diceret de se ipso, iactanter dicere videretur et
 quaerere gloriam propriam contra illud quod dicit Ioannis 8: Ego gloriam meam non quaero.
 925 Unde ut omnia in gloriam Patris referret dicit de Spiritu quod a Patre procedit, sicut et alibi ait:
 mea doctrina non est mea. Ex verbis tamen ipsius quibus se dicit mittere Spiritum et de suo
 accipere, et a semetipso non loqui, sed quae audiet ab eo et ex similibus, satis innuit pie
 intelligenti Spiritum procedere a se ipso.

Ad secundum dicendum sicut Anselmus respondet, *De processione Spiritus Sancti*, capitulo
 930 20, quod necesse fuit propter quosdam minus intelligentes qui non advertabant ex his quae
 universa credit Ecclesia sequi Spiritum Sanctum de Filio procedere, necesse inquam fuit, ut hoc
 Ecclesia explicaret nec fuit necessarium congregari concilium ubi Graeci et Latini convenire
 deberent nimis difficile fuisset congregare episcopos Graecos ad consulendum de hac re nec
 oportebat. Unde quia necessitas cogebat et ratio nulla prohibebat, et vera fides hoc admittebat,
 935 fideliter asseruit Latinitas quod confitendum et credendum* esse cognoscebat.

Ad tertium dicendum quod non omnia sunt explicite tradita ab Apostolis, alias non
 oportuisset eorum doctrinam exposuisse, nec sancti doctores deberent conari ad explicationem
 eorum quae in dictis Apostolicis continentur. Et quod dicitur de verbis beati Andreae, dicendum
 quod Spiritus procedit a Patre et requiescit in Filio propter habitudinem termini quam habet
 940 Verbum respectu Spiritus cum semper emittatur et animus per vim amoris impellatur ad rem
 positam in esse formato.

Ad quartum dicendum quod Damascenus nullo modo negat quin Spiritus sit a Filio, alioquin
 non diceret Filium esse fontem radii et splendoris assimilando Spiritum Sanctum splendori, ut
 visum est in corpore quaestionis. Intelligit ergo quod non est a Filio principaliter, immo Filius a
 945 Patre accipit quod sit Spiritus Sanctus ab eo. Vel dicendum quod per processum Spiritus
 intelligitur quasi impulsus animi per vim amoris ad amatum, positum in esse formato. Hic ergo

processus habet Patrem pro termino a quo et Verbum pro termino ad quem; est enim a Patre in Verbum. E converso autem non est quia non est a Verbo in Patrem in quantum Pater non importat amatum positum in esse formato. Habendo ergo aspectum ad istam proprietatem, 950 Damascenus negat quod Spiritus non est a Filio, sed est Filii, quin autem vere et realiter capiat /Vb 187rb/ esse a Filio et egrediatur ab eo, nullo modo negat, immo expresse concedit, cum Spiritum assimilet splendori et Filium radio et Patrem soli. Secundum hoc enim erit Spiritus a Filio sicut splendor a radio, et Filius a Patre sicut radius a sole.

Ad quintum dicendum quod Dionysius dicit Patrem esse fontem totius deitatis, quia /X 362a/ 955 principium est ambarum personarum. Filius autem et Spiritus sunt sicut lumina et flores; lumen autem unum potest derivari ab alio et flos suboriri in flore. Propter quod Spiritus potest a Filio emanare.

Ad sextum dicendum quod non assumit verum quin spiritus in nobis procedat a verbo, ubi mens format verbum de se ipsa; mens enim formans et formata habent omnia communia praeter 960 formare et formari. Habent ergo commune vi amoris impellere se ipsam, et per consequens spiritum et flatum emittere. Et quod additur de Augustino, dicendum quod ipse, IX *De trinitate*, in fine, dicit quod voluntas inquirendi praecedit notitiam perfectam, et ita verbum perfectum; sed tamen notitia de inquisitione fienda, et verbum ipsius inquisitionis praecedit inquirendi appetitum; ex quo colligitur quod Verbum simpliciter praecedit Spiritum qui emanat ab ipso 965 appetitu, ita ut si appetitus perfectus sit, praecedit ipsum Verbum perfectum, et si imperfectus, praevienietur a Verbo imperfecto.

Ad septimum dicendum quod Spiritus non communicat cum Patre in generatione Filii, quia spiritus per necessitatem emanationem /X 362b/ verbi, et in nobis et in Deo, praexigit ex sua ratione formali, cum non possit amari nisi cognitum nec animus vi amoris impelli, nisi ad id 970 quod est positum in esse formato et dicto.

Ad octavum dicendum quod Spiritus Sanctus est unum simplex productum, et tamen est a pluribus; nec est inconveniens idem esse a pluribus, dum tamen productio sit omnimode una. Et quod additur quod tunc dependeret totaliter a pluribus, dicendum quod non dependet a pluribus ut plures; unde Pater et Filius non sunt in spirando plures, cum sint unum principium et unus 975 spirator propter unitatem productionis.

Ad ultimum dicendum quod Spiritus refertur unica relatione ad Patrem et Filium, qui quidem non sunt plures spiratores, sed unus spirator, sicut nec plures dii. Unde stant ista simul: quod Pater et Filius sint plures personae, et tamen unus spirator, sicut et unus Deus. Non habent ergo Pater et Filius rationem plurium terminorum, in quantum ad eos Spiritus Sanctus refertur, sicut 980 nec tres personae in quantum creaturae referuntur ad eas.